



**BREVIS|| INSTRVCTIO|| AD CORROBORAN-||DOS AC  
IVVANDOS MO-||RITVROS, EOS PRAESERTIM|| qui ob  
flagitia sua, publica Iudi-||cum sententia morti ad-||dicti  
sunt:||**

**Isella, Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1588**

**VD16 I 344**

Articulus Primus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60044](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60044)

sibi tedium & superuacaneum creant laborem, afflicto verò afflictionē addunt. Quare propter commoditatem communem, poterit illi concedi tempus ad respondendum, & ruminandum ea quæ dicta sunt: sic enim & promptior fiet ad audiendum alia. In confortationibus autem vtilis esse possunt articuli sequentes, aut alij, prout Spiritus Sanctus suggeret, atq; captiui qualitas postulabit.

ARTICVLI, QVIBUS exercetur homo, vt promptus fiat in consolandis ijs, qui à Iustitia ad mortem condemnati sunt.

*Articulus Primus.*

Quoniam timor viam sternit a-mori, eumque introducit, à timore poterit Consolator incipere, persuadecatque damnato, vt recipiat mortem, si non cum gaudio, saltem cum patientia; vt placet Deum iustè in eum, ob crimina tot, & tam graua iratum: qui etsi posset illum eterna poena damnare, contentus ta-

A timore exhortatio incipienda.

## 34 INSTRVCTIO AD

men est, pro sua misericordia, hoc breui momentaneæ mortis supplicio. Id tanquam specialem & singularem Dei gratiam acceptare debet. Quod si aliter fecerit, ostendet sese ingratum, & propter ingratitude[m] Dominus maiori in illum ira excandesceat. Quod si Iudex terrenus tantum nobis terrorem incutiat, quando indignatur, aut irascitur; qui tamen non potest nisi corpus occidere; ecquid erit iratum videre supremum Iudicem, à cuius præsentia tremunt Angeli, Principatus, Potestates, atque vniuersa cœli curia? quique potest & corpus, & animam occidere, atque inardentes gehennæ rogos proturbare? Id considerans Dauid, licet iustus & sanctus, dicebat; *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me.* Et beatus Ioannes in Apocalypsi sua dicit Gentes, ne viderent iratum vultum Domini, dixisse montibus; *Cadite super nos; & collibus; Operite nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni.* Hic potest commemorari, quàm vehementer iratus fuerit DEVS primario illi Angelo, quem ob vnum peccatum è summo cœlo

Luc. 12.

Psalm. 6.

Apoc. 6.

Esa. 14.

IVVANDOS MORIENTES. 35

cœlo in imum Inferni barat<sup>um</sup> præcipitavit. Ob vnum peccatum iratus Adamum expulit Paradiso, & ad perpetuam mortem, laboresque continuos damnauit. Propter peccatum vniuersum humanum, animantiumque genus deleuit: paucis tantum animabus exceptis. Quinque ciuitatibus offensus, misit ignem de cœlo, & exussit illas.

Genes. 3.

Genes. 7.

Genes. 19.

Hæc, aliaque iræ diuinæ argumenta poterit in mediū proferre; & subiungere, quanto est terribilius, quod iram illam sequitur. Possunt & nonnulla recenseri de pœnis inferni, commemorando exempla nonnulla damnatorum, qui alijs apparuerūt. Deinde quoque addere licebit miserum illum tantam iram Dei, tantasque pœnas subterfugere posse, si leuem hanc pœnam mortis sustineat patienter, & voluntariè. Quod videbit Dominum vultu placabili, atque benigno inuitantem eum, vt sine fine & termino secum lætetur.

*Articulus II.*

Postquã moriturus per timorẽ nõnihil est excitatus, moneatur, vt mortẽ suã offerat Domino: etsi ea sit exigui

gui